



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 483. Usque Ad Annum 561.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117824

§. 51. Origenes damnatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66066](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66066)

apparet vestigium, ne scilicet Capitulum ^{Sæculum VI.} damnatio Concilium Calcedonense ^{A. C. 553.} labefactandi, & Hæresin Eutychem stabiliendi prætextus esset. Si cujusquam forte privati hæc intentio fuit, obstiterit Deus, ne malorum consilium sortiretur, quem quærebant, effectum. Igitur in Concilio Constantinopolitano solemniter Concilium Calcedonense confirmatum, & tribus præcedentibus æquiparatum est. ^{c. 8. 9. 11.} Præterea Hæresis Eutychem & Naturarum in Jesu Christo confusio in quibusdam Anathematismis diserte damnata. Non habemus Actorum hujus Concilii Autographum Græcum, sed tantum antiquam Versionem latinam, & forte illam ipsam, quæ statim concinnata est, ut Acta Vigilio Papæ communicarentur; ^{Const. p. 369.} nam ipsemet fatetur, se linguam Græcam ignorasse.

§. LI.

Origenes damnatur.

In Actis superius recensitis nihil de Damnatione Origenis occurrit; quamvis ^{v. Baluz.} aliunde constet, eundem in Concilio ^{brev. in 5.} quinto fuisse damnatum; sed cum magna ^{Conc.} sit antiquorum Exemplarium diversitas, id saltem dispicitur, non omnia Acta in singulis fuisse inserta. Theodorus Cappadox optabat quidem efficere, si potuisset, ne Origenes damnaretur; at post

Sæculum VI.
A.C. 553.

post obitum Theodoræ Imperatricis, anno 548. defunctæ, multum pristinae Auctoritatis amiserat. Igitur Imperator Goth. c. 30. Abbatibus Conone & Eulogio aliisque

Sup. 9. 48.
vit. S. Sab.
n. 90. p. 374.

a Patriarcha Jerosolymitano delegatis instantibus, ad Patres Concilii Epistolas misit, in quibus dicebat: *Relatum est ad Nos, Jerosolymæ Monachos existere, qui errores Pythagoræ, Platonis, & Origenis sequuntur.* Tum eorum Doctrina brevi-

to. 5. Conc.
p. 679. ex
Cedren.

ter exposita concludit in hunc modum: *Exhortamur vos, ut congregemini, & Expositione, quæ huic Epistolæ adjuncta est, accurate perlecta, singulos Articulos cum impio Origene & omnibus illis, qui eadem cum ipso sentiunt, aut impofterum*

Sup. 9. 4.

ipsius errores amplexi fuerint, damnetis.

Hæc Expositio nihil aliud est quam Libellus ab Abbatibus Eulogio, Conone, Cyriaco, & Pancratio traditus, quocum etiam Imperator transmisit ad Concilii Patres magnum suum Edictum ante annos quindecim contra Origenem editum, & verisimiliter illud Exemplum, cui Vigilius Papa subscripserat, ut saltem in suo Chirographo illi Concilio præsens redderetur.

Marca Dis-
sert. c. 25.

Evagr. IV.
c. 17.

Concilium accepta Imperatoris Epistola &, quæ memoravimus, Actis, Origenem cum Didymo & Evagrionem Sectatoribus ipsius una voce damnavit, postquam contra ipsos sæpius conclamasset.

Niceph. 18.
c. 27.
Vita S. Sab.
n. 90. p. 374.

Tum,

Tum, quid actum fuisset, ad Imperato-
rem delatum. Juncti sunt Articuli, quos
Origenis Sectatores docebant; unde dis-
cipi poterat, in quibus consentirent, aut
dissentirent, & quam variæ essent ipso-
rum Sectæ. Inter alia legebantur ista
Theodori Cappadocis verba: *Si modo
Apostoli patrant Miracula, iisque tantus
honor habetur, qua ratione melior eorum
futura esset in Resurrectione conditio, nisi
Jesu Christo æquales fiant?* Hinc Secta
illa Isochristarum dicebatur. Superfunt
nobis etiam quindecim Canones Græco
sermone, qui præcipuos Origenis errores
damnant, & Titulum centum sexaginta
Patrum Concilii Constantinopoli cele-
brati præferunt.

Sæculum VI.
A. C. 553.

n. 48.

§. LII.

Papa Concilio consentit.

Tandem Vigilus Papa Patrum suasio-
nibus cessit, dataque post semestre
ad Eutychium Patriarcham epistola fate-
tur, Charitatem a se læsam fuisse, cum
se a Fratribus suis separasset. Subdit, ne-
minem pudore teneri oportere, ne re-
tractet facta, si ad cognitionem veritatis
perveniat, & S. Augustini affert exem-
plum. Dicit, causa trium Capitulorum
mature jam pensata, eadem sibi damnan-
da videri. Refert graviores errores Theo-
dori Mopsuesteni, Theodoretæ, & Iliæ,

to. 5. Conc.
p. 595.

Nov. Coll.
Baluz. p.
& 1548.